



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis Romanorvm Pontificvm**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Mogvntiae, 1602**

Cap. XXI. S. Fabianvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**

Episcopi habent potestatem ordinare regulariter Episcopos & reliquos sacerdotes, sic quotiescunq; vtilitas aut necessitas exposcit, supradicto modo & mutare & inthronizare potestatem habent. Non enim de minori ad maiorem ciuitatem transfertur, qui non ambitu, nec propria voluntate, sed aut vi à propria sede pulsus, aut necessitate coactus, aut vtilitate loci & populi non superbè, sed humiliter ab aliis transfertur, & inthronizatur. *b* Hic eisdem decretis suis fanciuit, vt quisque inobediens spiritali animaduersione trüctetur, & eiectus de Ecclesia rapido dæmonum ore dilanietur: sicut olim in veteri lege, quicumque sacerdotibus non obtemperasset, aut extra castra positus lapidabatur à populo, aut gladio ceruice subiecta contemptum expiabat cruore.

*b eadem epist.*

*Dent. 17.*

## CAP. XXI.

A. CCXXXVIII

## S. FABIANVS.

**F**ABIANVS, natione Romanus, ex patre Fabio, sedit annos 13. mensem 1. dies 11. Fuit autem temporibus Maximini & Africani, vsq; ad Decium secundum & Quadratum, qui martyrio coronatur 14. Kalend. Februa. Hic ordinauit Episcopos 11. presbyteros 22. diaconos 7. Hic 7. diaconos in vrbe Roma in 7. regiones ipsius vrbis diuisit, qui ad peragendum officium illis congruum omni hora parati inuenirentur. Hic etiam septem subdiaconos ordinauit, qui septem notariis imminerent, & gesta martyrum veraciter ex integro colligerent. Huius etiam tempore Nouatus hæreticus ex Africa venit, qui Nouatianum & alios quosdam Christi Confessores de Christi Ecclesia separauit, & in doctrinam prauam conuertit.

*a epist. 1. ad  
voministros.*

*1. Cor. 5.*

*b. q. 1. c. omnes.*

*a* Hic paternè monuit, & decreto salubri, & omnibus Christianis hominibus seruando fanciuit, vt omnes illi, cum quibus Apostolus cibum nos sumere vetat, à Christianorum consortio sequestrati penitus habeantur, nec in cuiuslibet & fidelium accusatione vllatenus suscipiantur, vsque ad satisfactionem, dum dignè venisse non dubitantur.

*b epist. 2.*

*b* Hic etiam in decretis Orientalibus Episcopis destinatis inuolabiliter seruandum esse præcepit, vt singulis annis nouum Chrisma conficeretur, & vetus in sanctis Ecclesiis cremaretur, quia sicut ipsius diei sollempnitas per singulos annos est celebranda, ita ipsius sancti Chrismatis confectio per singulos annos est agenda, & de anno in

no in annum renouanda, & fidelibus tradenda, quia nouum sacramentum est. Hæc Apostoli docuerunt, hæc eorum successores tenuerunt, & semper tenenda esse, firmiter mandauerunt. Hic in eisdem decretis statuit, & Apostolos, eorumque successores statuiffe <sup>3.9.5.c. suspensos.</sup> inducit, vniuersaliter ad accusationem, id est, ad nullius Christiani hominis Ecclesiasticam accusationem recipiendos esse suspectos, aut quoslibet inimicos, vel qui non sint bonæ conuersationis, vel quorum vita est accusabilis, vel qui in recta fide sunt dubii, aut quorum fides, vita & libertas noscitur, vel qui infamiæ maculis sunt aspersi, aut sceleribus irretiti. Ad sacerdotum verò accusationem nullos debere vel posse recipi dicit, qui sacerdotes fieri non possunt, aut qui non sunt sui, id est, sacerdotum ordinis: quoniam sicut sacerdotes, vel reliqui clerici à secularium laicorum accusatione excluduntur, ita illi ab istorum sunt excludendi & alienandi criminatione. <sup>2.9.7.c. sicut.</sup> Et si in rebus secularibus suum cuiusque ius & proprius ordo seruatur, multò magis in Ecclesiasticis dispositionibus ius & ordo seruandus est, & nulla debet induci confusio. **ITEM** in eisdem præcepit, ne vllus vnquam præsumat accusator simul esse, & iudex vel testis, quoniam in omni iudicio, subaudi Synodali, quatuor personas necesse est semper adesse, id est, electos iudices, accusatores, defensores & testes. **ITEM** statuit, ne oues suum Pastorem reprehendere audeant, nisi ipse in fide errauerit. Si verò in fide errauerit, erit corrigendus prius secretè à subditis: si autem incorrigibilis apparuerit, tunc erit accusandus apud Primates suos, aut ad sedem Apostolicam. Pro cæteris verò actibus suis magis est tolerandus à subditis, quàm publicè derogandus, aut accusandus.

<sup>c</sup> **ITEM** in alia decretali epistola, quam ipse prædictus Papa Hilario Episcopo misit, idem de sacerdotum & maiorum natu accusatione statuit, quod & in illa statuerat, quam Orientalibus Episcopis destinauit. Insuper peregrina iudiciâ, salua in omnibus Apostolica auctoritate generali sanctione prohibuit, & ita ordinabiliter in Episcoporum accusatione agi decreuit, vt Episcopus quilibet super certis criminibus accusatus prouinciales Episcopos electos debeat habere iudices, à quibus omnibus in ipsa prouincia audiatur, quia non alibi, quàm in foro suo oportet accusatum audiri, & si ibi aduersum sibi senserit iudicem, Metropolitanum videlicet, aut Primate, licenter absque vlla afflictione, & iniuriosæ detentionis custodia vocem appellationis & defensionis habeat. <sup>3.9.6. si quis episcopus.</sup> <sup>1.9.6. c. si quis iudicem.</sup> <sup>3.9.6. c. pulsatus.</sup> Item statuit, vt quilibet, nisi ante suum iudicem pulsatus,

3. q. 6. c. qui  
crimen.

si voluerit, taceat, & vt pulsatis, quotiens appellauerint, induciæ dentur, Adhæc statuit crimen quodlibet cuiilibet temerè ex ira obiectum non esse pro accusatione habendum, & vt quicumq; accusationem per scripturam se probaturum esse fateatur, & si non probauerit quod obiecit, pœnam quam intulit, patiat. Probatio autem & causa ibi semper agatur, vbi crimen admittitur, nisi si Episcopus Apostolicam Sedem appellauerit. Tunc verò id statuendum esse, quod eiusdem Sedis Pontifex statuerit.

## XXII.

A. CCLIV.

## S. CORNELIVS.

<sup>a</sup> epist. 2.

2. q. 4. c. nos  
sanctorum. &  
c. nos sacra-  
mentum.

\* addicit.

3. q. 6. c. omnia.

**C**ORNELIVS, natione Romanus, ex patre Castino, sedit annos 2. menses 2. dies 3. Hic ideò, quia epistolam à B. Cypriano Carthaginensi Episcopo acceperat, iussu Decii capite detrunctur 3. nonas Martii. Hic ordinauit Episcopos 7. presbyteros 4. diaconos 4. Hic rogatus à quadam matrona, Lucina nomine corpora Apostolorum Petri & Pauli de catacumbis noctu leuauit, & primo quidem corpus B. Pauli silentio leuatum est, ac positum in prædio prædictæ matronæ, via ostiensi ad latus, vbi decollatus est. Postea verò corpus B. Petri accepit, & condecenter posuit illud iuxta locum, vbi crucifixus est inter corpora Sanctorum Episcoporum in templo Apollinis in monte aureo in Vaticano palatii Neroniani 3 Kal. Iul. Idem prædictus Papa & martyr in epistola, a quam Rufo coepiscopo consultus misit iuxta præceptum Domini in Euangelio, & Iacobi Apostoli in sua epistola, & omnium Apostolorum, & suorum antecessorum præcepta sequens, & iura confirmans, incauta sacramenta à sacerdotibus fieri penitus vetat. quia ante suum tempus à summis sacerdotibus, vel à reliquis sacramenta non esse exacta vel exhibita nisi pro fide recta testatur. Item in eadem, sicut & alii antecessores sui fecerant, prouidendum esse affirmat, ne oves suum pastorem, nisi à fide exorbitauerit, reprehendere aut accusare præsumant, quia tales accusationes vim non habent, neque pastoribus nocere possunt. Item prohibet, ne vllus sacerdotum causam suam alieno committat iudicio, sed semper habeat cõprouinciales, & notos iudices, nisi illic vim temerarię multitudinis timuerit, aut infestos, vel suspectos iudices habuerit. Pro his enim causis ad maioris auctoritatis iudices & ad alias prouincias appellare & venire concessum est. Item in eadem affirmat omninò esse vacua omnia illa, quæ in omni negotio, aut loco aduersus absentes aguntur, aut iudicantur, quoniam absentem nullus \* abdicat, nec vlla lex damnat.

XXIII.